



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 33. Cardinales captivi enecantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. fitens. Post aliquot dies in Franciam  
A. C. 1386. revertit.

## §. XXXIII.

*Cardinales captivi enecantur.*

*Rayn. n. 10.  
ex Gobel.*

*Th. Niem.  
c. 61.  
Vitæ p. 515  
1385.  
Sup. l. 97.  
S. 55.*

Interim captivos Cardinales liberaturi  
erant amici sui. Noctu intrabant Pa-  
pæ palatium, se pluribus aliis augendos  
rati ad carcerem effringendum. At Pa-  
dæ domesticis strepitu expergefactis, &  
custodiis arma capientibus conjuratos in  
fugam avertit metus. Paucis post die-  
bus captum est consilium veneno tollen-  
di Papæ. Sed hac de re suspecti vincu-  
lis mandati sunt: & cum Urbanus in con-  
spirationis authores sedulo inquireret, au-  
fugiebant Cardinales duo, Pilus Pratinus  
Ravennæ Archiepiscopus, & Galiotus  
Tarlatus Petramalæus. Ob fugam sus-  
pecti suam denique Avenionem ad Clemen-  
tem advenerunt; Pilus Idibus Juniis an.  
1387; Galiotus tertio Nonas Majas an.  
1388. Ille Ticinum transiens, ut Urba-  
no ægre faceret, ab eo traditum sibi pe-  
tasum rubrum in platea publice combus-  
sit: & Clemens pristinam eorum promo-  
tionem nihili faciens, ambos renunciavit  
Cardinales, Pilum ut Presbyterum, Ga-  
liotum ut Diaconum.

*Rayn. n. 11.* Captivis e Cardinalibus unum, scili-  
cet Adamum Estonium de S. Cæcilia Pa-  
pa

pa Urbanus rogatu Regis Richardi libertate donatum remisit ut pauperem Monachum unico cum comite Gallo Ministro pontificio, qui ejus curam, & custodiam ageret. Quinque Cardinales reliqui Genuæ captivi manebant in diversorio Papæ, quod erat pars domus Equitum Rhodiorum. Quoties videbat intempestive aliquem adire templum carceri huic propinquum, credebat id eum facere Cardinales liberandi causa: & hanc ob suspicionem suorum multos capi, mandari carceri, & quæstioni subjici curavit. Ducem, ac cives Genuæ, ut his Cardinalibus libertatem, & veniam daret, summopere orantes non audiit. Tandem Neapolitanum in regnum rediturus hos quinque Cardinales interfici jussit eadem omnes nocte, mense Decembri, paucis ante diebus, quam Genua discederet. Necis genus incertum: in mare mersos alii, alii jugulatos, & in equorum stabulo humatos perhibebant. Nondum finito Decembri Lucam mari profectus Papa novem ibi mensibus continuis commorabatur.

## §. XXXIV.

*Lithuani Christo adjunguntur.*

Ineunte anno 1387 novum Poloniæ Regem Ladislaum Jagellonum in Lithuania-

Dd 3

niam,

Sæcul. XIV.  
A. C. 1386.*Th. Niem.*  
c. 57.

c. 60.